Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26172
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quibus manifestissime perdocemur. et inicium uoluntatis bone
domino inspirante concedi. cum aut per se. aut per exhortationem cuius-
libet hominis. aut per necessitatem nos ad salutis adtrahit uiam.
et perfectionem uirtutum. ab eodem similiter condonari. nostrum uero hoc
esse. ut adhortationem auxiliumque dei. uel remissius. uel enixius. exequamur.
et pro hoc nos uel remunerationem. uel supplicia dignissime pro-
mereri. Quod euidenter in deuteronomio aperteque describitur. Cum inquit
introduxerit te dominus deus tuus in terram quam possessurus es
ingredieris. et deleuerit gentes multas coram te etheum. et
gergeseum. et amorreum. chananeum. et ferebeum. eueum. et
iebuseum. septem gentes multo maioris numeri. et robustio-
res te. tradideritque eas dominus tibi. percuties eas usque ad internetionem.
non inibis cum eis fedus. neque sociabis cum eis coniugia. Quod ergo
introducuntur in terram repromissionis quod delentur gentes
multe coram eis quod traduntur in manus eorum nationes maioris
numeri. et robustioris quam populus israhel. dei esse gratiam scriptura
pronuntiat. Utrum autem eas percutiat israhel usque ad internetionem an
reseruet eas et parcat. et utrum ineat cum eis fedus. et utrum
sociat cum eis coniugia. an non sociat ipsorum esse testatur.
Quo testimonio manifeste discernitur quid libero arbitrio
quid uero dispensationi uel cottidiano adiutorio domini debeamus
asscribere. et quod diuine sit gratie prestare nobis occasiones sa-
lutis et prouentus secundos atque uictoriam. nostrum uero ut concessa
dei beneficia. uel intente. uel segniter exequamur. Quam ratio-
nem etiam in illa cecorum. curatione satis euidenter uide-
mus expressam. Quod enim transit ante eos ihesus diuine prouiden-
tie et dignationis est gratia. quod uociferantur. et dicunt. miserere
nostri domine fili dauid. fidei ipsorum et credulitatis est opus. quod uisum
recipiunt oculorum. diuine miserationis est munus. Quod autem post
perceptionem cuiuslibet muneris tam gratia dei quam liberi arbitrii.

Marginalia (left margin):

Quid ei dispensationi ac
prouidentie erga nos be-
nignissima dignatio-
ne collate. uel negle-
ximus uel studuimus nostre
obedientie deuotio-
ne congruere. Quid

utrum